Belling, Henricus
Quaestiones Tibullianae

PA
6789
B44

Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Askanischen Gymnasiums zu Berlin. Ostern 1894.

Quaestiones Tibullianae.

Scripsit

Henricus Belling.

BERLIN 1894.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1894. Progr. Nr. 51.

PA
6789
B44

LIBRARY
SEP 14 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

899486

LEGITURQUE TIBULLUS!

Ad Lygdami versum III 2, 5 (non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro || ingenio) Lachmannus adnotavit: haec patientia nostro A B C. In codicibus c d e 'haec patientia nostro' scriptum esse constat. Sed in excerptis illis Heinsianis (A = y), quae ipse inspexi, nihil de hoc versu traditur; in Mureti editione 'haec patientia nostro' typis impressum est. Cum hanc scripturam rectam, editionis Regiensis scripturam 'hoc patiemur et aequo' pravam esse manifestum esset, fieri potuit, ut Heinsius hoc quoque loco[1]) lectionem codicis Eboracensis a suo exemplari discrepantem notare supersederet. Itaque, quid in codice y scriptum fuerit, parum constat[2]).

Iam vero, quod Puccii verbis 'illud *non haec patientia nostro* posuit Pontanus' Lachmannus subscripsit: 'sed codices A et B prius quam Pontanus nasceretur scripti sunt', ad refellendam Puccii sententiam non satis valet. Nam cum cetera quae de versibus a Pontano suppletis Puccius ad versus I 2, 25; 10, 25; II 3, 14a, 75 adscripsit, vera videantur esse, hoc loco eum errasse non credam[3]), quamquam in duobus certe codicibus, V et B, prius quam Pontanus nasceretur scriptis 'haec patientia nostro' tradi non ignoro. An fieri non potuit, ut codices hanc scripturam praebentes neque Pontanus neque Puccius nosceret et ille e prava quam unam norat scriptura rectam coniectura eliceret? Ea coniectura, sive a Pontano facta sive a Puccio, qui illi librum Guelferbytanum addicere videtur[4]), ad Pontanum immerito relata est, tam necessaria tamque facilis erat, ut non sit, cur non credamus eandem antea factam esse a codicis V librario[5]) et inde in codicem B translatam esse, sicut in librum Ambrosianum postea translata est. Nam cave ex Hilleri silentio colligas in codice A haec primitus scripta fuisse. Nunc in eo scriptum est 'hec patientia nro' suprascripto litterae r signo compendii. Sed 'tia nro' alio atramento aliaque manu scripta sunt, 'tia n' in ras.; ubi nunc 'ro' est, prima manus nihil exaraverat; supra 'en' quoque litteras rasurae vestigia exstant, infra versum rasum non est. Quod igitur Baehrensius

[1]) Cf. Rothstein, De Tibulli codicibus, pg. 39; H. Magnus, Jahresbericht für Alterthumswissenschaft 1887, II pg. 329.

[2]) Cf., quae de hoc codice infra dicentur.

[3]) Baehrensius quoque (Tibullische Blätter, 1876, pg. 61) dicit: 'Eine Erinnerung daran, dafs 'patientia nostro' interpolirte Lesart ist, liegt sicherlich in des Puccius Worten'.

[4]) Cf. Baehrensi prolegomenon pg. XI.

[5]) si modo ab eo facta est; nam cum ipse librum Vaticanum nondum inspexerim, dubito an ibi quoque paulo aliter atque traditur res se habeat.

a. 1876 coniecit[1]), littera q infra versum pertinente verum non est. Emenso mihi litterarum spatium videtur fuisse: 'hec patieñ et (compendio scriptum) nro', quam lectionem ab eo qui codicem 'quinque saltim decenniis post'[2]) correxit sublatam esse non est quod miremur. Concedetur certe credendum nullo modo esse illum correctorem in codice scriptum legisse quod nunc traditur. Quodsi unus codex A a vulgata scriptura discreparet, eius librarium in re quae parvi videtur esse momenti peccasse iudicantes acquiesceremus. Sed aliquot codices et editiones collationesque vetustae testantur 'non hoc patiemur et aequo', unus liber praebet 'non hoc patiemur e nostro', unus 'non hoc nostro patiemur'[3]). Atqui hae scripturae non sunt eius modi, ut a quoquam vulgatae, quae optimum sensum praebet, scripturae emendandae cupiditate supposita esse debeant credi. Ergo, ut quo modo illae oriri potuerint explicemus, unum relinquitur, ut simile quid antiquitus traditum esse putemus. Atque facillime discrepantia potest explicari, si in libro archetypo scriptum fuit:

nro
hec patiemur et equo.

In apographo O inde expressum est 'hec patiemur et nro', quod more suo librarius codicis A fideliter propagavit; librarius codicis V emendationem quae in promptu erat videtur recepisse. In altero autem sive, cum soleat credi plura apographa facta esse, in alio quodam duplex archetypi scriptura servata est; posteriorum librariorum pars id quod in versu erat pro genuina scriptura habuit, pars locum coniectura tentandum in eaque vocabulo supra scripto utendum esse intellexit[4]).

Sequitur ut quaeramus, quo modo archetypi lectio oriri potuerit; neque enim res ea est, ut de mero scripturae mendo cogitare debeamus. Atque ne archetypi quidem librarium talem interpolationem animi causa excogitasse atque pro scriptura ad intellegendum facillima inculcasse credibile est. Itaque necessitate, ut versum expleret, coactus videtur esse. Et quoniam, quo facilius explicetur genuinam versus formam coniectura repertam esse, ab archetypi librario vocem 'nostro' traditam esse arbitrati sumus, in libro ex quo archetypus descriptus est tantum 'non ego firmus in hoc non hec patie . . . nro' legi potuisse putamus. Librarius, cui vocis patientiae tunc ipsum in mentem non veniret et verbum finitum desiderari videretur, primo 'patiemur' scripsit. Iam cum 'nostro' propter metrum in versu retineri non posset, sed adiectivo ad vocem 'ingenio' pertinenti opus esset, ipsa sententia 'aequo ingenio' commendavit; vocula 'et' interposita ille satis infeliciter metro satisfecit. Vocem extremam cum recipere in versum non potuisset neque intercipere auderet, supra adscripsit, id quod saepius in re dubia eum fecisse constat[5]).

Iam vero tale quale in hoc versu factum erat damnum quamquam in mediam paginae partem cadere potest, tamen in summum infimumve paginae versum facillime cadere apparet. Itaque postquam argumentationem modo propositam in bibliothecae Ambrosianae umbra

---

1) Dicit l. l. pg. 61: 'Die editio Regiensis liest 'non hoc patiemur et aequo', und dies wird in den Excerpten des Perreius als die alte Lesart bezeichnet. Ohne Zweifel bot so auch der Ambros. von erster Hand.'

2) ergo fortasse postquam Pontanus illud 'non haec patientia nostro' posuit. Cf. Baehrensi proleg. pg. VII.

3) Vide adn. 1) et Broukhusii ed. pg. 428. Praeterea cf. ed. Vossianae (T. und Lygdamus nach Handschriften berichtiget, 1811) pg. 442, ed. Heynio-Wunderlichianae p. II pg. 274, ed. Huschkianae pg. 438; quamquam Vossii manuscripta caute adhibenda esse recte monet Baehrensius pg. 61.

4) Discrepantiam quae est inter 'hoc' et 'hec' nullius momenti esse constat.

5) I 1, 5. 25; 3, 4; 9, 40; II 1, 67; 5, 98; III 2, 24; IV 5, 16; praeterea cf. I 1, 43; III 4, 65; IV 1, 40. 112. 112a.

codices Tibullianos excutiens confeci, non sine aliquo gaudio domi cum librum a. 1893 a me emissum[1]) inspicerem hunc versum animadverti primum fuisse videri in pagina antica folii 17 codicis quem ibi t nominavi. Qui concentus quo magis inopinanti mihi se obtulit — nam cum illum librum scriberem et codicem ex quo archetypus descriptus est restituere conarer, discrepantis huius versus scripturae nullam habui rationem — eo gravior mihi quidem videtur esse.

Sed ipsam illam codicis t restitutionem in dubium vocaverunt primum Maximilianus Rothstein[2]), deinde Hugo Magnus[3]), tum vir quidam doctus qui censurae suae ex illius libelli[4]) more primas tantum nominis apud philologos non ignoti litteras Cr. subscripsit[5]). Quae hi viri doctissimi congesserunt argumenta ea examinare in animo habeo, mea magis perspicua reddere confirmare augere conabor: non quo in eis quae semel posuerim perseverandum mihi esse existimem aut res probabiles vel veri similes pro veris venditare cupiam, sed ut e communi labore ad interpretanda poetae tersi atque elegantis carmina aliqui fortasse fructus redundet.

Ac primum quidem, num universa illa codicis t restituendi ratio obtineri possit, videamus quam brevissime: neque enim id mea magnopere interest, quippe qui calamum non sumpserim ut codicis alicuius paginarum investigandarum rationem indagarem atque proferrem, sed ut interpretationem quorundam locorum iuvarem si possem. Verum cum omnium qui criticen Tibullianam exercent philologorum tum meum esse existimavi quaerere, qui potuerit fieri, ut ille satis magnus lacunarum et interpolationum numerus[6]) in textum irreperet, praesertim cum tales coniecturae tum demum pro veri similibus debeant haberi, cum qui potuerint oriri aliquo modo probare contigit. Quod igitur Rothstein monet cum dicat: 'Schon das ist bedenklich, dafs er dem Schreiber des Archetypus eine nicht geringe Freiheit lassen mufs, neben der Normalseite von 14 Zeilen läfst er 13 und 15 Zeilen recht häufig vorkommen', sane quam grave esset argumentum, si ullo loco mea de codice t sententia eo essem deductus, ut traditam lectionem impugnare inciperem; sed ego illa opinione ita tantum usus esse mihi videor, ut vitia — quorum magna pars ab aliis neque a me uno aut primo cognita est — a l i i s rebus patefacta o r i r i potuisse ostenderem. Accedit quod, qua de causa maiorve minorve versuum numerus a librario paginae inscriptus sit, semel[7]) non potest dici, semel[8]) non incredibili, novies[9]) satis probabili coniectura explicari potest[10]). Tali autem in re qui adstrictam quandam quasi mathematicorum lege constantiam requirunt[11]), velim reputent ne in codice A quidem, quamvis magna aequabilitate

[1]) Kritische Prolegomena zu Tibull, Berlin, Weidmannsche Buchhandlung.

[2]) Wochenschrift für klassische Philologie, 1893, pg. 1314—1318.

[3]) Berliner Philologische Wochenschrift, 1893, pg. 1546—1551.

[4]) Literarisches Centralblatt, 1894, pg. 360—361.

[5]) Veniam mihi dabit vir clarissimus, quod ego in hoc opusculo eodem siglo utor.

[6]) Rothstein quidem dicit pg. 1314: 'Da mehrfach ganze Verse in unserer Überlieferung verloren gegangen sind und in einigen Fällen für gröfsere Versteile sich Ähnliches mit Wahrscheinlichkeit annehmen läfst etc.'; Magnus pg. 1546: 'Dafs der Archetypus aller vollständigen Hss., die wir besitzen, Interpolationen enthielt, ist bekannt'; Cr. pg. 360: 'In manchen Fällen war das [dafs schadhafte Stellen des Archetypus durch Erfindungen eines Abschreibers, durch Interpolation, ausgefüllt sind] eine anerkannte Wahrheit'.

[7]) in foliis 33 et 34.

[8]) in folio 37.

[9]) in f. 10—13 (quaterna fere folia librarius lineis distinxisse videtur); f. 15p—16; f. 18p—19; f. 23—24; f. 29—31; f. 47; f. 56a; f. 65p; f. 70p—71.

[10]) Id enim egit librarius, ut carmen aliquod cum pagina finiretur.

[11]) Quod non facit Rothstein, dicit enim post verba supra laudata: 'Das ist gewifs an sich nicht unwahrscheinlich'.

atque diligentia confectus sit, eundem in omnibus paginis versuum numerum esse. Nam cum illius paginae vicenos binos versus continere soleant, nulla ad explicandam inconstantiam idonea causa pagina 22a continet viginti unum[1]) (II 1, 44—64), et in pagina 45b, quae viginti duas lineas habet, una vacua relicta est (IV 6, 15 – 8, 2).

Sed vereor ne quasi arce iam capta viculum aliquem nequicquam defendere videar. Nam non solum Rothstein (pg. 1314sq.) haec disputat: 'Weit gefährlicher für die Ansicht des Verfassers ist der Umstand, dafs die Behandlung der einzelnen Stellen, auf welche er sich bei seiner Hypothese stützt, wenigstens nicht durchweg überzeugend zu sein scheint. — Von entscheidender Bedeutung für die Beurteilung der ganzen Hypothese ist daher die Frage, ob des Verfassers Urteil über die beiden angeführten Stellen [I 5, 33. 47] richtig ist, und das mufs ich in beiden Fällen bestreiten'; sed etiam Cr. dicit: 'der Angelpunkt (I 5, 33) gab uns zu Vorbehalten Anlafs'. Haec ut indicarent viri doctissimi, fortasse ipse parum perspicuo dicendi genere commisi. Etenim e versu I 5, 33 aut omnino ex uno duobusve locis quasi cardinem causae aptum esse etiam atque etiam nego. Verum est, priusquam in carmine I 5 de secunda parte versus 47 totidem litteras in codice t defuisse videri animadverterem quot de exordio versus 33, me de versibus numerandis ne cogitasse quidem et hac re animadversa coepisse experiri, si forte corruptelae antea cognitae e versuum in codice t loco ortae esse possent. Sed ut hoc forte fortuna factum est, ita etiamsi in carmine I 5 nullam interpolationem deprehendissem casu eo deferri poteram, ut in carmine I 6 inter versus corruptos 42 et 72 versuum 29, in carmine II 3 inter versus 34 et 75 versuum 40 spatium intercedere animadverterem et hinc[2]) in codicis t paginis fere quaternos denos versus fuisse suspicarer. An id verum esse non potest quod quis se non ingenio repperisse sed temere ac fortuito invenisse confitetur? Atque etiam si in omnibus eis locis de quibus illi viri docti aliud atque ego iudicium protulerunt illos rectum vidisse concedam, posse tamen ratiocinationem meam veram esse dixerim. Etenim illis locis exceptis satis multi vel lacunosi aperte vel interpolatione manifesta aut probabili tentati restant[3]): quorum corruptela quia explicationem desiderat atque flagitat, priusquam aliter ac melius explicata erit quam ego eos versus aut in summo aut in infimo codicis t paginarum loco positos fuisse suspicatus explicavi, ut hanc explicationem abiciam equidem animum inducere non potero.

Neque vero concedo omnibus illis locis mea argumenta refutata esse. Recognoscamus igitur singulos!

I 3, 50. Rothstein et Magnus vocabulum 'repente' ineptum esse[4]) negant. Atque ille

---

1) In paginae 21a linea prima nihil scriptum est nisi Rca (sequuntur versus II 1, 1—21); ceteris locis illud Rca coniungitur cum carminis titulo, quod hic quoque fieri poterat (titulus libri carminisque est in pg. 20b).

2) 29 sunt circiter 2 × 14, 40 circiter 3 × 14.

3) Ut omittam eos versus qui levioribus vitiis laborant remanent hi: I 2, 25 pent.; (I 5, 47); I 6, 42; I 6, 72; lacuna post I 10, 25; II 1, 58; (II 3, 34); II 3, 75; II 4, 37. 38; II 5, 4; (III 2, 5); III 5, 3; III 6, 52; IV 1, 55; IV 5, 1. Uncinis inclusi eos locos de quibus quamquam mihi exploratissimum est omnes criticos a me staturos esse nondum spero.

4) Alterum quo Fridericus Leo (Philologische Untersuchungen II, 1881, pg. 26) coniecturam suam probavit argumentum (zunächst erfordert *mare* ein Verbum, denn das zu *caedes*, *vulnera*, *viae* zu ergänzende giebt zu *mare* keinen Sinn) refellere studuit Magnus cum interpretaretur (l. l. pg. 346): 'Für die Menschen des goldenen Zeitalters war es so gut, als existierte das Meer nicht, da sie nichts von Schiffahrt wufsten'. Quam interpretationem etsi minime comprobo tamen omitto; de ea enim quia sensu, non argumentis est disceptandum suo quisque iudicio utatur.

quidem dicit (pg. 1318). 'repente ist nicht sinnlos, sondern die lebhafte Phantasie des Dichters versetzt sich in die Zeit des Wechsels in der Weltherrschaft, der tausend Todeswege mit einem Mal eröffnet hat, die vorher alle unbekannt gewesen waren, das Adverbium ist eng mit dem Zahlwort zu verbinden'; similiter hic (pg. 1548): 'Die dichterische Anschauung, aus der es hervorgegangen, glaube ich deutlich zu erkennen: jetzt plötzlich — wer mag sagen, wie es zugegangen? — ist alles anders'. Haec ferri fortasse possent, nisi antecederent verba 'nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper'. His enim poeta, ut antea statum rerum qualis erat Saturno rege depinxit, ad ferream aetatem transiens minime dixit, quae, simulatque Juppiter regno potitus esset, tum subito incidisset mutatio rerum, sed item statum describit qualis nunc semper est Iove sub domino, i. e. dum Iuppiter regnat. Postquam antecessit hoc primum 'nunc' coniunctum cum verbis 'Iove sub domino' et 'semper', poetam cum sequentibus 'nunc' per ἀναφορὰν repetitis a statu describendo delabi ad aliud quoddam tempus, scilicet ad unum illud punctum quo facta sunt quae esse modo dicebantur, mihi multo minus veri simile videtur esse quam vocem 'repente' a Tibullo scriptam non esse.

Quae vox quin a Tibullo scripta non sit, ne ii quidem debent dubitare qui verba 'leti mille viae' ex interpolatione profecta esse posse negant. Cr. quidem, cui quae potuisse Tibullum scribere demonstravi (scripsisse non autumavi) 'longae fata viae properant' non magis placent quam Hugoni Magnus, haec dicit (pg. 360): 'Aber wenn Leo's Schreibung auch nicht haltbar sein sollte, so würde daraus doch noch nicht mit Sicherheit folgen, dafs die Stelle interpoliert ist; ein anderer guter Einfall könnte die vorgeblichen Schwierigkeiten heben. Denn dafs die *leti viae* an sich hier nicht pafsten[1]), wird man nicht behaupten können'. Nemo me ipso magis laetabitur, si quid erit inventum melius quam ego commentus sum, sive, quod vult Cr., retinentur verba 'leti mille viae' sive eiciuntur, id quod necessarium esse ego arbitror, quia unicum quod Friderici Leo et meo iudicio pro voce 'repente' excogitari potest verbum finitum 'patentque' metricis rationibus dissuadetur. Concedant igitur ei qui 'patentque' scribendum aut simile quid pro voce 'repente' investigandum esse censent: hoc certe vocabulum in archetypo ad lacunam explendam interpolatum esse pro veri simillimo nobis esse habendum.

I 4, 44. De hoc versu brevius dici potest[2]). Etenim eis quae Cr. dixit (pg. 360): 'es ist doch immerhin denkbar, dafs die rechte Verbesserung noch nicht gefunden ist' ita assentior, ut traditam scripturam 'venturam admittat' ferri non posse mihi concedatur. Quamquam H. Magnus dicit (pg. 1548): 'Dem Sinne nach finde ich weder an *admittat* noch an seiner Verbindung mit *venturam* etwas zu tadeln: der *imbrifer arcus* gewährt dem Regengusse, dessen Kommen droht, der vor der Thür steht (*venturam*), gleichsam Zutritt, läfst ihn ein; *venturam* ist schöner[3]) als venientem, denn non omnes qui venturi sunt veniunt'. Sed ne sic quidem[4]) verbum admittendi

[1]) Cogitavit quicumque ea scripsit (cf. prol. pg. 17) de variis bellorum et itinerum periculis; ex itinere enim ad bellandum suscepto vel potius e navigatione aegrotabat poeta. Vel hinc refelluntur quae in Mus. Rhen. fasciculo huius anni altero (pg. 274) de his verbis et de v. 47 dixit E. Wölfflin.

[2]) Cf. Baehrensi 'Tibullische Blätter' pg. 87.

[3]) Haec extrema sententia quid sibi velit, prorsus non intellego: etenim ea ipsa de causa, quod non omnes qui venturi sunt veniunt, is cui venientem imbrem excusare liceret venturam aquam parum feliciter excusaret. Adde quae disserui in prolegomenon pg. 9.

[4]) Idem a. 1887 (l. l. pg. 344) dixerat: 'Für das in dem Sinne 'zuführen' = adferre sonst nicht nachweisbare *admittere* spricht übrigens die Neigung Tibulls die Wörter im ersten, eigentlichen Sinne zu gebrauchen', quo poetae studio eam notionis quae verbo subest conversionem prohiberi apparet.

hoc loco defendi potest. Nam talis verbi translatio probabilis esset, si locus quidam clausus sive saeptus excogitari posset quo aqua admitteretur ab arcu tanquam a domus ostiario; hic eo magis aliena est, quod imbrifer arcus aquam pluviam ferre, non admittere dicitur. Iam vero eius qui ad portam est instat introitus; is autem cuius adventus instat nondum est ad portam, ut ne possit quidem admitti.

I 5, 33. Ab iis quae de hoc versu exposui plane dissentiunt Rothstein et Magnus. Hic me ipsum in pg. 22—23 satis magnam materiem ad vocem venerandi defendendam contulisse dicit; sed cum nescio quo pacto omisisset prodere, qui loci a me auxilio arcessiti cum mea verbi interpretatione pugnare viderentur, ego frustra quaesivi. Ex iis autem argumentis quae Rothstein protulit (pg. 1315 sq.) gravissimum est hoc: 'Davon', inquit, 'wird man freilich meiner Ansicht nach ausgehen müssen, dafs diese Worte [et tantum venerata virum] nicht eine allgemeine Begründung des Ganzen geben sollen, sondern eine einzelne Handlung, die Begrüfsung des vornehmen Gastes durch die Hauswirtin, klar und bestimmt bezeichnen. — Wenn der Verf. behauptet, dafs das Wort *venerari* ohne ablativischen Zusatz den Akt der Begrüfsung nicht bezeichnen kann, so widerlegt ihn die von ihm selbst angeführte Stelle Tac. dial. 13 ohne weiteres. — Die überwiegende Mehrzahl der von ihm gesammelten Beispiele kommt für unsere Stelle gar nicht in Betracht, weil die beiden Bedeutungen des Wortes 'Ehrfurcht vor jemandem empfinden' und 'jemanden ehrfurchtsvoll begrüfsen' streng von einander geschieden werden müssen und nur die Belege für die zweite Bedeutung hier in Frage kommen können'. Ad haec quid respondeam, non nimis laboro. Etenim id egi, ut universam verbi vim exponerem, quo rectius de eis locis quibus similiter atque in hoc versu usurpatum videtur esse iudicari posset; neque timeo, ne exempla colligens oleum atque operam perdiderim. Satis enim manifesto ex illa collectione perspici puto, ubicumque illud verbum usurpatum sit, principem eius vim ita subesse, ut a Latinis ingeniis eam sensam esse credere debeamus, neque unquam notionem cum reverentia salutandi ipso ac solo verbo significari neque tam diversa esse usurpandi genera, ut alterum ab altero seiungi atque separari oporteat. Quod vero Rothstein verbo venerandi ipso salutationem ablativo non adiuncto significari e dial. c. 13 effici putat, miror. Nam cum dicitur 'populus surrexit universus et forte praesentem veneratus est sic quasi Augustum', primum salutatio ipsa in verbo 'surrexit' inest, deinde vocem venerandi hic translatam esse vocabulo 'quasi' significatur, tum e sententiarum coniunctione populum surgendo venerari ultro intellegitur. Simillimus est locus quem nuper inveni apud Valerium Maximum IV 5: 'Athenis quidam ultimae senectutis cum spectatum ludos in theatrum venisset eumque nemo e civibus sessum reciperet, ad Lacedaemoniorum legatos forte pervenit. Qui hominis aetate moti canos eius et annos assurgendi officio venerati sunt sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt'.

Iam vero Rothstein dicit: 'Die Reihenfolge, in der die einzelnen Handlungen der Delia aufgezählt werden, ist durchaus richtig, der Hausfrau wird die Ankunft des vornehmen Gastes gemeldet, sie sorgt erst für die Mahlzeit, hier in der einfachsten Weise, und begrüfst erst dann den Gast und bedient ihn bei Tische, das ist eine völlig klare und anschauliche Vorstellung, gegen die sich nichts einwenden läfst'. Atque quam ille describit rerum seriem rectissimam esse quis neget? Sed ut iam de hac verbi 'venerata' interpretatione nihil amplius addam, praetermittit vir doctissimus ea quae illud 'tantum venerata virum' excipiunt verba 'hunc sedula curet'. Itaque neglexit tollere eam difficultatem

quam in harum sententiarum coniunctione[1]) et in imagine verbis 'sedula curet' adumbrata potius quam expressa positam esse demonstravi prol. pg. 20 et 24. Cum sequenti sententia (huic paret atque epulas ipsa ministra gerat) notionem qualis est in verbo venerandi multo melius convenire non nego admonitus eis quae Cr. scripsit (pg. 360): 'Warum übergeht B. die Worte *ipsa ministra* mit Stillschweigen, die doch aus ganz derselben Anschauung hervorgegangen sind, wie das angeblich interpolierte *venerata*? Diesem erlauchten Gast gegenüber ist die Hausherrin Dienerin'. Sed ne haec quidem plane conveniunt, quandoquidem ministra non eadem est quae serva. Num vero hac convenientia etiamsi perfecta sit illa tollitur difficultas? Meo iudicio ne tum quidem tolleretur, si alio sententiarum ordine scriptum esset: tantum venerata virum huic paret atque epulas ipsa ministra gerat, hunc sedula curet; nam tum quoque propter pronominis ἀναφοράν vocem 'venerata' ad secundam sententiam item referre deberemus. Tamen quod Cr. dixit scitissimum atque utilissimum esse arbitror: iam enim intellego, quod antea me non satis intellexisse fateor, quo modo is qui archetypum confecit adductus sit, ut hac ipsa venerandi voce lacunam expleret. Ceterum, ne pertinacior esse videar, sic concludo: si quis sibi persuadere poterit — ego non possum — et verbum venerandi recte hoc loco usurpatum esse et Tibullum eum esse, ut de sua cum Messala familiaritate verbum venerandi usurpare voluisse credatur[2]), traditam versus formam a Tibullo profectam esse credat; ceteris enim quae attuli argumentis ne coniunctis quidem tantum tribuo, ut interpolationem necessario statuendam esse eis evincere velim, nam Tibullus quoque sententias non omnibus numeris absolutas confecisse potest[3]). Cui vero ad illa argumenta non levia hoc quod a venerandi notione petitum est argumentum accedere videbitur, traditum versum 33 a Tibullo scriptum non esse mecum dicat.

I 5, 47. Verba 'quod adest huic dives amator' ad explendam codicis t lacunam ab eo qui archetypum confecit interpolata esse arbitratus his verbis usus sum (pg. 27): 'Tibull, der auf den *alter* erst V. 69 zurückkommt, mufs hier, ebenfalls wohl im Perfectum, etwas von dem Verhältnis gesagt haben, das zwischen dem verliebt gemachten und der bezaubernden Schönen bestand, bis plötzlich die *lena* sich einmischte: nur so, scheint es, gewinnen die Worte des V. 48, in denen *venit* stark betont voransteht, richtigen Sinn und Zusammenhang'. Quibus comprobatis addidit Rothstein (pg. 1317) haec: 'Aber das genügt nicht; hätte der Verf. recht, so müfste man auch noch eine Andeutung des zeitlichen Gegensatzes erwarten, nicht ein blofses *venit*, sondern *sed nunc venit*. Der Dichter mufs vorher schon der Schilderung der glücklichen Zeit einen Hinweis auf die jetzt eingetretene Veränderung hinzugefügt haben'. Haec dimidia versus parte includi non posse recte monet. Neque tamen viro docto inter verba 'mihi' et 'quod' hexametri alteram partem, pentametrum, dimidium sequentis hexametri intercidisse putanti[4]) assentior, quia verba

---

[1]) Moneo Eduardum Hiller in adn. crit. pg. 11 dicere: 'Fort. post *virum* hexametri pars altera cum pentametro et hexametri subsequentis pars prior interciderunt'. Quam opinionem si probarem, illa paginarum ratiocinatio non concideret; quippe dicerem in codice t iam in pagina 14 p, ut carmen cum pagina terminaretur, 15 versus fuisse (I 5, 19—33), in 15 a pentametrum amissum et partem hexametri amissam cum extrema versus 33 parte et versus 34—46.

[2]) Cf. prol. pg. 23 et 24.

[3]) Quod rectissime monet Magnus (pg. 1548).

[4]) Cf. quae dicit Magnus (pg. 1549 sq.): 'Ich halte zwar nicht für glaublich, dafs die Worte *quod adest huic dives amator* zu athetieren seien; aber die in der Beziehung des haec nocuere mihi liegende Schwierigkeit erkenne ich an'.

'quod adest huic dives amator' propter pronominis 'hic' usum sane insolitum[1]) a Tibullo scripta esse non credo[2]). Neque qua ratione illa intercidere potuissent, explicare Rothstein conatus est; quod facere debebat, quia a verbis qualia sunt 'his solis' aberrasse librarium ad verba 'quod adest' minime est veri simile. Eo magis autem miror quod pg. 1318 dicit: 'Für die vorliegende Frage ist wesentlich die negative Erkenntnis von Wichtigkeit, dafs das kritische Hilfsmittel, von dem der Verf. auch hier Gebrauch macht, und das eine wichtige Stütze für seine Hypothese abgeben soll, hier nicht ausreicht'[3]). An quisquam talem qualem hic factam esse ille putat corruptelam poterit explicare alia ratione atque mea? Ego enim si illa intercidisse credam, possim suspicari librarium codicis t, ut carmen I 5 una cum pagina 16a finiret, iam in pagina 14p scripsisse 15 versus (19—33), totidem in pg. 15a (34—46, 47 dimidium cum illo supplemento, versum illum minorem), in pg. 15p illud supplementum cum reliqua parte versus 47 et versus 48—61, ut tum quoque ea quae deleta sunt in codicis t paginarum commissuris fuisse videantur. Quae corruptelae explicatio si cui non satis simplex esse videbitur, ab eo peto, ut illius coniecturam potius incuset quam meum explicandi conatum. Neque dubito meam opinionem, utpote quae faciliorem habeat explicationem, praeferre ei quam Rothstein proposuit.

Sed iure a me flagites, ut dicam, quidnam Tibullus verborum meo iudicio interpolatorum loco scripsisse videatur. Ego igitur cum de Graeca quam Fridericus Leo (l. l. pg. 40) protulit distichi translatione dissererem, haec scripsi (pg. 27): '*Sed* könnte man durch Conjectur statt *quod* einsetzen; allein, um einen befriedigenden Sinn zu erhalten, würde das nicht genügen. Vielmehr würde die Änderung dazu drängen, auch statt des übrigen das einzusetzen, was der Übersetzer ausdrückt, etwa: iam dominam tenet alter'. Iam mihi persuasi veri simillimum esse Tibullum sic fere distichon exhibuisse:

haec nocuere mihi[4]): sed iam dominam tenet alter[5]):
venit in exitium callida lena meum,

ut versu minore causa sive explicatio quaedam sententiae altera maioris versus parte enuntiatae afferatur; quam sententiarum rationem artificiosa verborum collocatione indicari puto.

I 5, 69 'scheint mir', inquit H. Magnus (p. 1550), 'die Verteidigung des überlieferten *furta* und die Beziehung auf v. 71 sehr plausibel. Nur weifs ich das plane, bis zur Nacktheit deutliche *mea* furta nicht recht mit dem geheimnisvoll unbestimmten *quidam* in v. 71 zu vereinigen'. Poeta igitur v. 69 eum qui potior nunc est sua furta timere iussit. Quae quo magis ille timeat, verbis 'non frustra' adiectis inde a versu 71 admonet eum de suspiciosis quibusdam rebus quas ille animadvertere potuerat. Atque ea ipsa de causa quod non est traditurus poeta quid ipse fecerit, sed commonefacturus quid ille forsitan iam viderit — ille autem non Tibullum quem hominem ignorabat, sed quendam viderat —, recte pronomine 'quidam' usus se significat quatenus ab illo visus erat. Ego, inquit, sum iste 'quidam', quem limina observantem animadvertisti.

---

[1]) Cf. prol. pg. 27.

[2]) In eis quae ad lacunam explendam commentus est Rothstein 'his solis ceperat armis, his tenuit victum Delia nostra virum. At nunc excludor' unum mihi displicet vocabulum 'solis', quod quid sibi velit in hac sententia, non intellego. Neque vero ei rei quidquam tribuo ponderis: nimirum alia ac meliora facile aliquis comminiscatur.

[3]) Cf. quae supra disserui p. 6.

[4]) Cf. II 4, 31 (haec fecere malas:).

[5]) sive mavis 'sed nunc excludit amantem' vel aliquid tale.

I 7,56. Magnopere laetor quod hunc locum attigi, nam quae me reprehendentes Cr. et Rothstein disseruerunt ad versum recte interpretandum utilissima sunt; quamquam sublatam esse ab iis interpretationis difficultatem nego. Videamus singula. Ac primum quidem rectissime dicit Cr. (pg. 360): 'Die Behauptung, dafs man *circa stet . . . senem* nur auf eine Situation beziehen könne, auf die Söhne am Sterbebett, ist eben eine Behauptung, nicht mehr'. Subiungit vero haec: 'Der ganze Zusammenhang führt ja auf die Geburtstagsfeier: an die an diesem Ehrentage um das Familienhaupt versammelte Nachkommenschaft hat Ref. stets gedacht: und was läfst sich dagegen einwenden?' Concedo de Messala sene die natali in sella sedente[1]) et a prole stante circumdato cogitare non minus licere quam de Messala in lecto iacente et supremum diem obeunte; sed quod sententiis cohaerentibus cogi nos putat Cr. ut verba ad diem natalem referamus, ego qua re ad diem natalem verba pertinere indicetur non perspicio. Me quidem, quamvis saepe Tibullum legerim, nunquam ad eam interpretationem antecedentium[2]) sententiarum ratione deductum esse scio neque unquam me ipsum ad eam delapsurum fuisse credo. Etenim vocabulo 'et' coniunguntur sententiae 'proles facta parentis augeat' et 'proles veneranda circa senem stet', quarum priorem pertinere ad id quod prolem die natali patris facturam esse poeta sperat non facile quisquam dixerit. Iam cum absit alterius temporis significatio, posterior, quam ad certum quoddam ac definitum tempus spectare et Cr. et ego et, nisi fallor, omnes Tibulli interpretes arbitramur, ab eo qui priorem mente conceperat nullo temporis adverbio interposito adiuncta esse meo quidem indicio non potest. Deinde ut patre vivo patris facta augeat[3]) proles, nisi forte senem aetate ita confectum fingimus ut ipse nihil iam facere possit, parum apte optari mihi videtur. An quisquam prius votum ad patrem mortuum, posterius ad vivum esse referendum sibi persuadebit? Tum Cr. cum verba vernaculo sermone sic reddat: 'möge deine Nachkommenschaft sich hochangesehen in deinem Alter um dich scharen', denuo parum respexit quod scriptum est 'te circa stet'. Accedit quod suo iure quaerat quis, nonne, quae sunt verba, optasse videatur poeta, ut senem demum proles veneranda circa staret, quasi optandum non esset, ut etiam antequam pater ad senectutem pervenisset proles bonae frugi et honoratissima esset et die natali gratulatum circa patrem conveniret. Mihi quidem quae tradita sunt hunc sensum videntur praebere: antequam ad senectutem pervenerit Messala, proles parentis facta augeat; cum senex factus erit, circa eum stans permaneat. Postremo quod vox 'veneranda' hoc loco usurpata praebet negotium id ne Rothstein quidem satis expedivit. Qui dicit: 'Die Söhne kann sich Tibull sehr wohl selbst schon als *venerandi* denken[4]), aber meinem Empfinden würde es mehr zusagen, hier unter *proles veneranda Messallae* eine Nachkommenschaft zu verstehen, die Anlafs dazu bietet, Messalla selbst als einen über das gewöhnliche menschliche Mafs emporgehobenen Mann anzusehen; sprachlich sind beide Auffassungen zulässig'. Sed hanc vocis interpretationem ille exemplis non comprobavit, ego timeo ut possit comprobari. Quae cum ita sint, in ea sententia quam in prolegomenis de hoc versu protuli adhuc perseverandum esse censeo.

---

[1]) Rothstein dicit (pg. 1318): 'Warum soll der Greis, den die *proles veneranda* stehend umringt, gerade liegen und auf dem Sterbebett liegen? Er kann doch auch sitzen, und das giebt ein schönes Bild, das der Dichter seinem Gönner wohl vorführen durfte'.

[2]) A 63 demum versu poeta ad diem natalem, a quo exorsus est, particula *at* usus revertitur.

[3]) eo sensu quem statuit Cr. cum dicat: 'Möge deine Nachkommenschaft deine Leistungen fortführen'. Conferenda tamen sunt quae de augendi voce dixi prol. pg. 34.

[4]) Cf. prol. pg. 35.

II 2, 21. Cum ego Tibulli verba emendando restitui posse desperassem, Cr. dixit (pg. 361): 'Die Möglichkeit bleibt offen, dafs eine einfache Buchstaben-Corruptel vorliegt'. Quae emendatio simulatque reperta et prolata erit — spero autem, cum ea scripserit, prolaturum esse virum illum doctissimum —, me errasse libentissime fatebor. Interim eis quae H. Magnus dixit (pg. 1549)[1]) non ita commoveor, ut de versu aliter atque in prolegomenis sentiam. Neque enim genius natalis avis, ergo Cornuto et uxori eius quo tempore nepotes iam habebunt, ita[2]) potest venire, ut nepotes ministrare dici possit, nisi forte quis intellegere vult: alios nepotes addat eis quibus natis avi facti sunt. Deinde magis magisque[3]) voce 'hic' offendor, quippe qua natalis, de quo uno agitur hoc loco, ab aliis ineptissime distingui videatur. Et hac de causa et quod cum veniendi verbo coniungitur dativus 'avis', quicumque legit 'hic natalis avis veniat', non de genio, ut suos honores visat, veniente, sed de die cogitet necesse est; at continuo verba 'natalis prolem ministret' de genio cogitare cogunt. Neque profecto, nisi poetam omnem quam carmen prae se fert elegantiam in hoc versu abiecisse credimus[4]), eodem tenore quo Amor rogatur ut vincula portet novo coniugio, novo marito novaeque nuptae nepotes potius optandi erant quam liberi.

II 3, 34. Ea quae de hoc versu exposui (pg. 38—41) strictim attigit Rothstein cum diceret (pg. 1318): 'Abgesehen von der vielleicht nicht einmal notwendigen Annahme einer Lücke nach dem Vers, ist alles in Ordnung, 'du schlägst dein Lager in meinem Haus auf', das ist, von dem früheren Liebhaber der Nemesis zu dem glücklichen Nebenbuhler gesagt, der ihn verdrängt hat, doch wohl ohne weiteres verständlich'. Ne repetam quae ibi (imprimis pg. 40) attuli argumenta, verba 'dafs dein Lager in meinem Hause sei' si sola spectantur neque cohaerentium verborum sententiarumque ratio habetur, intellegi posse cuivis apparebit. At quicumque, quid traditum sit, nesciens haec verba Latino sermone reddere iubebitur, de lecto agi putabit, non de castris. Itaque sive inter versus 34 et 35 distichon intercidisse suspicaris sive ea coniectura opus non esse mecum existimas, verba 'ut nostra sint tua castra domo' a Tibullo scripta non esse contendo.

II 3, 61. 62. Nonnullis de causis, quas vide sis in prol. pg. 60, hos versus sic exhibendos esse censeo:

> at tibi, dura Ceres[5]), Nemesim quia ducit ab urbe
> persolvat nulla semina terra fide!

Non persuasi, quod magnopere doleo, Hugoni Magnus; qui scripturam nunc vulgatam, quam neque offensione carere neque cum codicum scriptura congruere moneo, praestare arbitratus tribus utitur argumentis (pg. 1549). Primum est hoc: 'Hier Ceres als leidend und durch die Unbotmäfsigkeit der Erde geschädigt darzustellen, widerspricht ebenso dem Zusammenhange wie die der terra zugewiesene Rolle: wie könnte denn im folgenden Bacchus handelnd und strafend auftreten?' At si Cereri terra a Tibullo devota semina commissa non reddit, quod invita frugum

---

[1]) 'Das folgende prolemque ministret ludat et sq. wird durch das explikative *que* mit *avis* verknüpft und erklärt so dieses vielsagende Wort. Über die Bedeutung von prolem und turba novella kann also wohl kein Zweifel bestehen.'

[2]) Id, ni fallor, valet illud 'que' explicativum.

[3]) Cf. quae dixi prol. pg. 37.

[4]) Ne Messalae quidem, cuius liberi tum pueri iam erant, in carmine I 7 nepotes a dis optavit.

[5]) Heinsi coniecturam merito receperunt cum alii tum Broukhusius, Vulpius, Heyne, Voss, Dissen (quorum cf. commentarios), Gruppe (pg. 99), L. Müller. Verba *seges* et *Ceres* in codicibus saepius commutata esse constat.

genetrice non potest fieri, nihil patitur dea ipsa, quam sicut Bacchum eodem atque se animo in Nemesis amatorem esse devotionemque suam exsequi poeta fingit. An Ceres cum filia amissa 'arva iussit fallere depositum vitiataque semina fecit'[1], id egit, ut sibi ipsa malum adderet? Atque universa aliquid patiendi notio, quae ab interpretibus infertur neque verbis subest[2], ab hoc loco non minus abhorret quam notio aliquem puniendi item ab interpretibus illata: neque enim ut ille poena afficiatur optat poeta elegiacus, sed ne terra fruges ferat. Totius igitur loci sensus est hic: Poeta id agens, ne puellae formosae rure agrisque abdantur, devovet et agros et uvas, ne aut terra semina fideliter persolvat aut lacus musta capiant; sicut autem terra fruges non fert si Ceres eam deserit, ita lacus vacui sunt si Bacchus eos relinquit (cf. prol. pg. 61 adnot. 2).

Iam Magnus dicit: 'Auch das Epitheton *dura* will sich dem nicht fügen: dura Ceres wäre (die Stellen bei Belling S. 60 Anm. 6 sind ganz anderer Art und beweisen nichts) die hartherzige, unerbittliche Ceres; so kann sie allenfalls in der bei Ov. met. V 475 f. geschilderten Situation heifsen[3], nicht hier'. Mihi, ut gravissima exempla repetam, ab Horatio[4] durus videtur dici homo duri laboris patiens; apud Vergilium vero[5], quem secutus est Ovidius[6], vocem 'durus' pro perpetuo quod dicitur epitheto esse puto, ut significetur is qui in duro rustici opere occupatus est idque tolerat. Quae notio ad Cererem deam Baccho tenero ac molli oppositam potest transferri, quia quae semina in terra condidisse fingitur operi rustico interfuit.

Restat tertium argumentum non leve. Dicit enim Magnus: 'Und was heifst eigentlich *terra* Nemesim ducit ab urbe? Soll etwa terra = rura sein? (*rura* tenent puellam, non *terra*!)'. Ad ea haec habeo quae respondeam: Si scribitur 'tibi seges nulla fide semina persolvat', intellegenda non est omnis quae ubique est seges, sed ea quae in illius agro Nemesim tenenti est, ut devoventur ei lacus quibus illius vina excipiuntur[7]. Eodem modo, si scribimus 'tibi terra nulla fide semina persolvat', non est intellegenda omnis quae ubique colitur terra, sed ea terrae pars quam ille possidet, illius praedium. Itaque eadem terra, quae ne semina persolvat optat poeta, non modo ad se allexit puellam, sed etiam nunc ipsum tenens ab urbe rus ducere vel pergit vel solet[8]. An cuiquam melius dicturus fuisse videtur poeta: 'tibi terra, quia rura Nemesim ab urbe ducunt, semina nulla fide persolvat'?

'II 4, 29 halte ich', inquit Magnus (pg. 1548), 'die Worte *hic dat avaritiae causas* für echt; nur fasse man *hic* als Adverb'. Cum critici inde ab Heinsio multi locum tractarint et emendando sanare frustra conati sint, hoc viri docti iudicium cognovisse iuvat; sed licet rogare, ut suam

---

[1]) Ovid. met. V 479 sq.; cf. v. 474 sq.: terras increpat omnes ingratasque vocat nec frugum munere dignas.

[2]) dummodo ne 'tibi' parum recte interpreteris; neque enim dativus est positus quasi res cum Cereris incommodo fiat, sed quod ea res ad Cererem deam agrestem pertinet.

[3]) Cave putes eo loco deam duram esse ab Ovidio nominatam.

[4]) epi. I 7, 91; 16, 70.

[5]) georg. I 160 (dicendum et, quae sint duris agrestibus arma, quis sine nec potuere seri nec surgere messes); cf. Aen. VII 504.

[6]) met. XIV 643 (o quotiens habitu duri messoris aristas corbe tulit).

[7]) 67 demum versu per sententiam versibus 65 et 66 enuntiatam (qua profectus a Nemesi generatim de formosis puellis et de agris plurali numero dicere coepit) eo progreditur poeta, ut omnem agri culturam valere iubeat, ne sint modo rure puellae.

[8]) Vel animum eius ducere pergit vel ipsam ducere solet.

sententiam explanare velit. Nam si 'hic' interpretamur 'hoc loco', mihi quidem difficultates augeri potius quam minui videntur.

'III 5, 11 ist der Versuch, das der Überlieferung am nächsten stehende sacrilegos aegros zu halten, wohl mifslungen. Die Verbindung ist, wenn überhaupt lateinisch, gewifs nicht Tibullisch und das Prädikat *admovimus* pafst nicht dazu'. Haec Magnus (pg. 1549). Ego quamquam verba antiquitus corrupta esse posse non nego, scripturam cum codicibus paene consentientem, ceterum ne mihi quidem magnopere placentem de causa in prol. pg. 89 sq. exposita vulgatae coniecturae praestare existimo. Adiectivum quod est 'aegri' pro substantivo usurpatum a Lygdamo — neque enim de Tibulli verbis agitur — excusari posse mihi videtur comparanti cum Cic. de deorum natura II 4, 12[1]) et de div. II 3, 9[2]) tum Tibulli versum I 1, 39[3]). Admovendi autem verbum de aegris, qui cum se ipsi movere non possint ab aliis admoventur templis ut loca sacra corporibus attingant, a Lygdamo usurpari potuisse equidem credo.

Quoniam eos de quibus Cr., Magnus, Rothstein in illis censuris nova protulerunt versus recognovimus omnes, iam conspectum quendam proponamus eorum locorum, quibus codicis archetypi librarium interpolantem deprendisse videmur.

Ac primum quidem ex ordine enumerabo eos versus quos in codicis t paginarum commissuris scriptos variis casibus ita vel truncatos vel mutilatos esse puto, ut librarius codicem t describens interpolatoris officium suscipere cogeretur[4]). Scripsit igitur:

I 3, 50:	nunc mare nunc *leti mille repente viae*[5])
4, 44:	*venturam annuntiat*[6]) imbrifer arcus aquam
4, 59:	*iam tu*[7]) qui venerem docuisti vendere primus
5, 33:	*et tantum venerata virum* hunc sedula curet
5, 47:	haec nocuere mihi *quod adest huic dives amator*
6, 42:	*stet procul aut alia* stet procul ante via
6, 72:	*immerito propriis* proripiorque vias
7, 56:	augeat *et circa stet veneranda senem*
II 1, 58:	dux pecoris *hircus auxerat hircus oves*
2, 21:	*hic veniat natalis avis* prolemque ministret
3. 34:	imperat *ut nostra sint tua castra domo*
3, 61:	at tibi dura *seges* Nemesim qu*i* *ab*ducis ab urbe
4, 37:	hinc fletus rixaeque sonant *haec denique causa*
	fecit ut infamis hic deus esset Amor
5, 4:	nunc precor ad laudes flectere *verba meas*

---

[1]) 'Ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicinae est.'

[2]) 'Etenim ad aegros non vates aut hariolos, sed medicos solemus adducere.'

[3]) 'Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis pocula.'

[4]) Versus I 2, 25; pentametrum et hexametrum post I 10, 25; II 3, 75 in codicis t paginarum commissuris scriptos interisse credo. Certe si qua supererant eorum vestigia, archetypi librario non contigit, ut versus conficeret.

[5]) Quae ab eo, non a Tibullo scripta esse suspicor, ea typis proclinatis imprimenda curavi.

[6]) sive *ammittat* (cf. Leo pg. 18).

[7]) Haec verba cum versus minoris structura pugnare non magis ille vidit quam verba in v. II 3, 34 interpolata ad eius distichi exordium non quadrare (cf. prol. pg. 41).

III 2, 5: non haec patiemur et aequo (nostro)
5, 3: nunc autem sacris Baiarum *ma*xima lymphis
6, 52: conqueror ite a me seria verba pre*cor*
IIII 1, 55: nec valuit *ciclops* ceptos avertere cursus
5, 1: *est qui* te Cerinthe dies hic. mihi sanctus[1])

Sequuntur ei loci quibus, ut in prolegomenis exposui, iterationem quandam abundantiamve tollendam sibi esse putavit codicis archetypi librarius[2]). Hic typis inclinatis impressa sunt ea quae ille vel mutasse videtur vel cum interpolatione sua tradidisse vel omisisse vel notasse tantum; eis autem locis quibus quid Tibullus scripserit ignoramus verba ab illo inculcata uncinis seiunxi. Displicuerunt igitur illi:

I 1, 25: iam modo *iam* possim contentus vivere parvo
1, 43: parva seges satis est *satis est* requiescere lecto
3, 4: abstineas avidas Mors *precor atra* manus
abstineas Mors atra precor.
7, 49: huc ades et *genium* ludis geniumque choreis
II 1, 67: ipse *interque greges* interque armenta Cupido
natus et indomitas dicitur inter equas
4, 29: [hic dat avaritiae causas] et Coa puellis[3])
III 2, 23: illic quas mittit dives Panchaia merces
eoique Arabes *dives* et Assyria
4, 3: ite procul vani falsumque avertite visum
desinite in *vanis* quaerere velle fidem
4, 65: *saevus Amor docuit validos temptare labores*[4])
saevus Amor docuit verbera saeva pati
4, 66: saevus Amor docuit verbera *saeva* pati
6, 1: candide Liber ades
3: *huc ades*[5]) *atque* (?)[6]) meum pariter medica*re* dolorem
6, 21: *con*venit iratus n i m i u m q u e severos
6, 23: qualis his poenas *qualis* quantusque minetur
IIII 1, 40: nec tamen hic aut *hic* tibi laus maiorve minorve

---

[1]) His locis collatis in priore corporis Tibulliani parte maiora damna facta esse apparet quam in altera; fere enim in illa dimidii atque toti versus interierunt, in hac singulae voces syllabaeve. — Perperam in prol. pg. 57 in horum versuum numero habui v. II 4, 10, inconsiderate secutus quae in Mus. Rhen. vol. XXXVII pg. 568 E. Hiller dixit. Accuratius rem contemplanti dubium non potest esse quin vox 'vasti' in archetypo scripta fuerit et in uno eius apographo O librarii errore omissa sit: traditur enim in codicibus omnibus praeter libros A V B (et Iusti Lipsii varietates lectionum ex codicibus Romanis, ergo fortasse ex ipso quoque libro V, excerptas).

[2]) Pentametrum quoque qui post versum II 3, 14a nunc deest in codice t extitisse credo; cum eius iactura versus II 3, 14c '[lacteus et mixtus] obriguisse liquor' interpolationem cohaerere videri docui prol. pg. 45—47.

[3]) Cf. prol. pg. 48, 74.

[4]) Cf. prol. pg. 45.

[5]) Praeter exemplum in prol. pg. 77 allatum cf. versum I 7, 49: huc ades et genium ludis geniumque choreis concelebra.

[6]) De versus emendatione admodum dubia dixi prol. pg. 76—77.

IIII 1, 112: terna minus Pyliae miretur saecula famae
namque senex longae peragit dum *saecula famae*[1])
1, 205: seu matura dies *celerem* properat mihi mortem
5, 16: nulla queat posthac *hāc* soluisse dies[2])

Reliqua quae in archetypum irrepserunt vel menda vel vitia talia sunt[3]), qualia solent esse. Atque quam certa consilia archetypi librarius persecutus sit in ea quae illius propria est versuum complendorum[4]) et, ut illi visum est, emendandorum ratione, ex conspectu proposito facile cognitum iri spero. Itaque regula quaedam videtur inventa esse qua usi, num qua verba recte a criticis in interpolationis suspicionem vocentur, utrum lacunae recte statuantur[5]) versusve recte transponantur[6]) necne, diiudicare possimus. Contrarium me, si verum invenissem, assecuturum fuisse censet H. Magnus; qui cum nova atque inaudita et quae, ne critice Tibulliana corruat, neque debeant neque possint credi me protulisse faciat[7]), nescio an nimium libellulo meo tribuerit. Is igitur dicit (pg. 1547): 'Unsere ganze Überlieferung würde auf einer Hs. ruhen, deren

---

[1]) vel: *namque senex longae peragit dum saecula famae* (cf. prol. pg. 73).

[2]) Item huc pertinet versus I 9, 40 (sit precor exemplo *sit* levis illa tuo), de quo infra dicendum est.

[3]) Quae Magnus dicit (pg. 1547): 'an den verschiedensten Stellen interpolierte er aus den verschiedensten Gründen — Buchstaben, Wörter, ja ganze Versteile', superlatione quadam claudicant.

[4]) Librarium, ne mancum librum exhibere videretur, neque inter versus neque in versibus lacunas praebere oportebat. Itaque sicubi interierat versus, deficientibus quae in reperiendis poetae verbis sequi posset vestigiis proximos versus spatio non intermisso coniungere quam suo Marte totius versus de integro conficiendi periculum facere maluit; verum si truncatus erat versus, ansa quadam ad sarciendum oblata explere versum maluit quam reliquiis eius abiectis suum exemplum eo quem describebat libro magis etiam decurtatum reddere. Quae cum ita sint, nescio an immerito inconstantiae cuiusdam eum accusarit H. Magnus (pg. 1546). Mihi quidem non satis sibi constitisse videretur, si aut lacunam hic reliquisset illic versu excogitato explesset, aut versum mancum prout libebat nunc explesset nunc cum potuisset explere noluisset, aut lacunas inventas explere noluisset contra ubi lacunam non invenisset temere distichon addidisset: quae omnia facta esse nego. Neque quod semel (II 4, 37. 38), quae illi altera hexametri parte et eiusdem distichi pentametro amissis ad lacunam explendam in mentem venerant, reliqua maioris versus parte includi non potuerunt, habemus cur de constantia eius dubitemus. Quid? Singulari condicione oblata — neque enim ullo praeter hunc loco tres distichi partes deerant — nonne singulari uti remedio licebat? Eis igitur quae dicit Magnus (pg. 1547): 'Die Erklärung für dieses unicum ist doch sehr problematisch. Was hinderte denn unsern schlimmen Interpolator, den v. 37 bloſs durch weitere Ausmalung von hinc fletus rixaeque sonant zu füllen (das war eine Kleinigkeit) und den Pentameter einfach wegzulassen?', eo minus moveor quod in tali re quod alteri facillimum est idem ut expediat alteri minus facile contingere solet. Quodsi maiorem versum plenum repperisset neque quaedam de suo addere coactus lacunam explere iam coepisset, hoc quoque loco eum unius pentametri lacunam intactam relicturum fuisse mihi persuasum est.

[5]) E. Wölfflin (l. l. pg. 270 sq.) symmetriae cuiusdam gratia resuscitavit eorum qui post v. I 10, 50 distichon excidisse suspicati sunt opinionem dudum scite confutatam eis quae dixit F. Leo (pg. 28): 'Es scheint mir vielmehr poetisch angemessen und sehr tibullisch, die Thatsache nicht einfach auszusprechen, sondern in einem charakteristischen Zuge ausmalend anzudeuten'.

[6]) Semel in corpore Tibulliano (IV 4) ordo versuum non recte in libris manu scriptis traditur; quae transpositio sive ab archetypi librario sive ab antiquiore aliquo facta est, facillimo errore explicatur: nam ille postquam versum 16 scripsit a litteris '-ella t [supra scripto compendii signo] est [ep.]' aberravit ad sequentes 'illa t'; cognito errore distichon omissum interposuit.

[7]) Dicit ille quidem pg. 1546: 'Der Verf. trägt eine ganz neue Ansicht vom Zustande der Überlieferung des corpus Tibullianum vor, die, falls sie sich als richtig erweisen läſst, eine vollständige Revolution in der Tibullkritik hervorrufen muſs' et pg. 1548: 'wenn wirklich der Beweis erbracht wäre, es sei so und nicht anders, müſsten wir uns wie oft mit Ergebung in das Unabänderliche fügen und die Tibullkritik könnte sich ins Grab legen'.

Schreiber nicht etwa ein Interpolator gewöhnlichen Schlages ist, der von Wortlaut und Buchstaben seiner Vorlage ausgehend sie zu emendieren sucht, — nein, ein so bösartiger Unhold, wie er mir Gottlob! in meiner Praxis noch nicht vorgekommen ist. Er fabriziert nicht nur ganz willkürlich Wörter und halbe Verse, sondern auch ganze'[1]). Sed hunc quoque librarium in explendo a sententiis verbisque in exemplo suo traditis profectum esse num opus est exemplis allatis confirmare? Certe, ni ita esset, facile omnes de his interpolationibus consentiremus. Atque etiam a litteris traditis, quantum pro ingenio suo potuit, in emendando eum profectum esse compluribus locis apparet[2]).

Iam Magnus dicit (pg. 1547): 'Ist es denn aber glaublich, dafs es dem Interpolator nicht auch mitunter glückte, einen unvollständigen Vers so leidlich zu ergänzen, dafs man nicht ernstlich anstofsen kann? — Kurz, beruht unser Text wirklich auf einer einzigen, in diesem ungeheuerlichen Grade gefälschten Hs., dann sind wir völlig aufser stande, Echtes und Unechtes zu scheiden'. Illud factum esse posse concedo; hoc inde colligi necesse esse nego. Neque enim unquam sine aliqua causa ad audaciam excusandam idonea ad interpolatoris officium ille librarius aggressus est, si excipimus locos quos in prol. pg. 81 commemoravi nimis audacter atque adeo temere mutatos: quibus ipse Magnus interpolationes archetypi detexit neque tamen de critice Tibulliana desperavit. Deinde satis multi versus in mediis codicis t paginis scripti restant, quibus, nisi singulares causae et cum librarii illis quae supra dixi consiliis congruentes exsistunt, codicum auctoritate confidere non solum licet sed etiam oportet: ex his igitur, quid Tibullianum sit, quid non, satis certo cognosci potest. Quodsi vero hic illic forsitan contigerit[3]) interpolatori ut Tibulli Lygdamive artem ita adaequaret, ut eius verba a poetarum verbis dignoscere iam nequeamus, in Tibulli libros idem cadit quod in ceteros poetarum prosaeque orationis scriptorum libros qui quidem interpolatis codicibus traditi nobis sint: quorum de critice idcirco nemo adhuc desperavit.

Gravius videtur esse quod Magnus dicit (pg. 1548): 'Ich setze wieder den Fall, an unserem Texte sei wirklich überall, wo Verf. ihn bemängelt, etwas auszusetzen. Selbst dann vermöchte ich seine Schlüsse nicht ohne weiteres anzuerkennen. Es bliebe immer noch zu erwägen, ob nicht auch einmal des Dichters Worte Tadel verdienen, ob nicht vielmehr Korruptelen oder Lücken im Arch. vorliegen u. s. w.' Sed ego id dedi operam ut verba quae interpolata esse arbitror aut absurda esse aut cum proximis pugnare aut a Tibulli ingenio aliena esse neque probabilem excusationem habere demonstrarem; neque tamen praeiudicata de ingenio atque arte poetae opinione captus id egisse mihi videor ut quidquid reprehendi posset ab eo abiudicarem. Deinde quaedam menda invito archetypi librario excidisse ipse docui[4]) neque eandem traditae scripturae explicationem in nullum praeterea e minus depravatis[5]) versum cadere posse dico. Lacunas autem qui in archetypo factas esse suspicatur, eius est, quo modo in illo fieri potuerint explanare. Longe maxima vero earum quas in pg. 14—16 enumeravi corruptelarum et consideratior et aequalior est quam ut aut casui aut compluribus librariis eas tribuendas esse veri sit simile.

---

[1]) Quo numero plurali usus ille meam sententiam non rettulit.

[2]) Cf. quae dixi de versibus I 6, 72 (e reliquiis verborum 'In medias praeceps' [male verba collocavi in prol. pg. 33] finxit 'Immerito propriis'); II 3, 61; 6, 45; III 2, 5; 5, 3; 6, 52.

[3]) id quod, si eorum quae interpolasse creditur naturam spectamus, non est veri simile.

[4]) Cf. prol. pg. 49. 82. 74. 77—78.

[5]) Cf. prol. pg. 62—63. 82.

Sed vereor ne cui meum de ipsius archetypi natura iudicium probare cupiens nimium longus esse videar. Nunc breviter dicamus, qua ratione, quid in archetypo scriptum fuerit, explorandum sit. Atque in priore corporis Tibulliani parte codici A, quem auctoritate longe principem Hiller recte dicit[1]), ad archetypi lectiones cognoscendas plus etiam quam ille tribuit auctoritatis tribuendum, discrepantes vero excerptorum Frisingensium et (in hac quidem parte) Parisinorum scripturas cautissime examinandas et multo rarius quam Hiller fecit pro genuinis Tibulli verbis habendas esse censeo. Namque Frisingensia excerpta vel potius eum ex quo illa excerpta sunt codicem e plenorum codicum archetypo fluxisse demonstrasse videor[2]); ab eius autem ex quo excerpta Parisina desumpta sunt codicis librario librum ex illo archetypo non pendentem in hac parte adhibitum esse evinci non posse contendo[3]). Atque mihi quidem veri simile est duo tantum Tibulli exemplaria ad mediam quae dicitur aetatem servata esse, alterum detruncatum[4]) quod Cuiacii fuit, alterum lacunosum[4]) quem librum littera t significavi.

Iam cum, quo maior debeat esse codicis A auctoritas, eo magis intersit de eius scripturis et recta tradi et recte iudicari, adnotatiunculas quasdam, cum iterum codicem A excuterem et cum Hilleri editione compararem, factas in medium proferre audeo.

Carmini I 3 in codice A praescriptum esse 'Ad Messalam conqueritur quod apud feacas egi u t e t etc.' tradidit Baehrens. Eo potissimum exemplo utitur Philippus Illmann[5]), ut librarium sine ullo sensu litterarum ductus tantummodo depinxisse, portenta incredibilia confecisse, plurima quae scripsisset non intellexisse demonstret. Cum e ceteris quae ille attulit exemplis pars pro scripturae mendis haberi possit, pars quia in libro V manu prima eadem scripta sunt librario codicis O potius quam huic crimini danda sit, operae pretium est commemorare in codice A recte scriptum esse e g r o t e t. Baehrensi viri in codicibus excutiendis exercitatissimi error inde facile explicatur, quod librarius hoc loco primum, quod postea saepius fecit, litteram r ita scripsit, ut maiore litterae parte exarata calamum tolleret et minorem cum sequenti littera coniungeret.

I 3, 12. Cum L. Mueller, Haupt, Vahlen Mureti coniecturam 'trinis' recepissent, Hiller codicum scripturam 'triviis' restituit. Ac Lachmannus quidem suae editionis rationes secutus idem recte fecit; Hillerum ita versum exhibuisse est quod miremur. Nam quam non apta sit haec vox, non solum e gravissimis illis argumentis quae eam improbantes Broukhusius, Heyne, Voss contulerunt[6]), sed etiam e tortuosa qua Vulpius, Wunderlich, Bach eam defendebant interpretatione satis cognosci videtur. Accedit argumentum quoddam ab illis neglectum. In eodem enim versu 'omina' scribi solet; at in codicibus (y)[7]) c d aliisque[8]) scriptum est 'omnia', in

---

1) praef. pg. V. Baehrens a. 1876 (Tibullische Blätter, pg. 60) de eius praestantia rectius iudicavit quam reperto libro Guelferbytano.

2) Cf. prol. pg. 33. 45. 57. 84—86.

3) Cf. quae exposui in prol. pg. 33. 41. 49—51. 62. 63. 71. 72. 75. 77. 82—85. 88—89 et quae infra dicam de versu I 10, 49. Ceterum moneo ne quis ex eis quas in apparatu critico Hiller notavit lectionibus excerptorum de fide atque auctoritate iudicare audeat.

4) et ea ipsa de causa nunc deperditum.

5) De Tibulli codicis Ambrosiani auctoritate, Halis Saxonum 1886, pg. 11.

6) Addiderim, quod sic sententiae 'sortes sustulit', qua quid sortes significarint non dicitur, parum apte adiunctum esset 'puer c e r t a rettulit'.

7) Vide quae de hoc codice infra dicenda sunt.

8) Cf. Broukhusianae editionis pg. 412.

libro V 'ut videtur' *omnia*, in A *omina* in ras. scriptum esse docuit Hiller. Hoc codice accurate inspecto addo vocem 'omina' alio atramento et litteram *a* aliter scriptam esse atque prima manu pingi solet, ut ne codicis A quidem auctoritate vulgata scriptura comprobetur. Quae cum ita sint, quin 'omnia' restituendum sit eo minus dubito, quod sententiae quoque ratione habita haec scriptura illi praeferenda videtur esse. Nam si diligenter reputamus quae vis vocabulo ominis subsit[1], quo modo puer ille sortilegus[2]) Deliae omina referre potuerit non intellegitur; etenim diversa divinationis genera sunt omina et sortes. Atque etiam num omina certa incertave potius quam fausta dirave distingui debuerint valde dubito. Quodsi cum codicibus[3]) 'omnia' scribimus, e triviis 'omnia certa' referri non potuisse, e trinis[4]) sortibus potuisse apparet. Nam si Deliam ponimus quaesivisse certumne esset id quod cogitaret — cogitabat autem de Tibulli reditu[5]) — apte sortilegus e sortibus videtur respondisse: certum[6]); cum illa ter quaesivisset, hic e tribus sortitionibus omnia certa[7]) rettulisse recte dicitur. Ita cuncta, et dei quos Delia consuluerat et sortes ter sublatae, reditus[8]) dabant[9]).

I 9, 19. Non solum in V (et in Lachmanni codice B) sed etiam in A scriptum est: 'O uiciis'; Baehrensi error inde explicatur, quod formae litterarum O et D in exordiis versuum pictarum tam similes sunt ut, nisi quis accuratissime alios versus ab O vel D litteris incipientes comparaverit, non facile eas dignoscat. Hinc emendanda sunt quae dixit Rothstein in libri de Tibulli codicibus conscripti pg. 59 sq.[10]).

I 9, 40. In codice t recte scriptum fuisse puto[11]): sit, precor, exemplo sit levis illa tuo. Archetypi librarius, ut hic quoque quam pravam esse putabat eiusdem vocabuli repetitionem tolleret, secundo loco *sed* suprascripsit, quod codicis O librarius in textum recepit; is qui alterum archetypi apographon confecit eam vocem ad enuntiati initium referre et pro priore 'sit' ponere maluit.

I 10, 49. Cum spectarem codicis A scripturam 'nitens[12]) uomer uiderit', quam facile 'uid' et 'nit' inter se commutari potuerint, animadverti. Atque puto archetypi librarium vel facili errore vel quod in codice t legerat describentem exarasse: 'uidens uomerq; uiret'.

———

[1]) Cf. Cic. de div. I 45. 46 (§ 102—104); II 40 (§ 83—84).

[2]) Cf. Cic. de div. II 41 (85—87).

[3]) Librarios obiter hanc sententiam inspicientes ad vocabulum 'omnia' mutandum promptos fuisse consentaneum est; contraria mutatio veri similis non est.

[4]) Nam cum impar trium sortium numerus tolli soleret, Delia, ut responsum certissimum ferret, ter hoc fecit.

[5]) Cf. versum sequentem: cuncta dabant reditus.

[6]) Hanc vocem solemnem fuisse putaverim; cf. Cic. de div. II 41, 86: 'quid igitur in iis esse potest certi, quae Fortunae monitu pueri manu miscentur atque ducuntur?'

[7]) 'Certa' quae vox pro substantivo usurpatur est numerus pluralis illius responsi 'certum' (ut vernaculo sermone utar: lauter bejahende Antworten).

[8]) Unaquaeque divinatio reditum dabat; plurali numero singula responsa reditum promittentia significantur, cf. adn. 7.

[9]) Traditae in sequenti versu (I 3, 14) scripturae 'respiceret' nuper patrocinatus est C. P. Schulze (Beiträge zur Erklärung der römischen Elegiker, 1893, pg. 19) neque respexit quae ad Hor. c. I 15, 21 adnotavit Kiessling. Cf. Tib. II 5, 22.

[10]) Cf. quae disseruit H. Magnus a. 1887 in pg. 325 libri supra laudati.

[11]) Cf. conspectum in pg. 15. 16 propositum.

[12]) In inferiore parte litterae n et in superiore litterae t tales rasurae sunt, ut 'uidens' scriptum fuisse liceat suspicari.

Deinde in eo ex quo excerpta P fluxerunt codice voci 'bidens' emendatior scriptura reddita et compendii signum quod supra litteram *e* scriptum erat omissum est[1]). Id compendium a codicis O librario habitum est pro signo syllabae 'ri' et metri causa vox 'que' omissa est. In altero autem archetypi apographo[2]) illud 'uizēt' mutatum est in 'vigent', quam coniecturam quia necessaria non est falsae loco recte habuit Hiller.

II 1, 42 in c. A exaratum est *suppotuisse* (non *supposuisse*); III 4, 1 'mihi' compendio scriptum. Secundum meliores libros scribe II 5, 117 laurus; III 4, 45 Semelae (quod valet tradita forma 'Semele'. III 4, 47 mihi in c. A videtur esse 'cuiq;', quamquam *e* litterae *c* simillima vix dignoscitur. IV 1, 64 A praebet 'arces', 70 nautem, 82 artos, 108 'iapigie' manu recentiore (nam prior litteram d aliter pingit atque hic picta est) in 'iapidie' mutatum; 139 te tereo (i. e. Theraeo, ut mera dittographia in archetypo facta, in c. O descripta esse videatur); 165 rigentem (*m* sec. ma. in ras., potest fuisse *s*); IV 12, 2 nideas (ut V ma. pri.). IV 5, 16 in rasura, quae est inter *hac* et *soluisse*, 'nos' scriptum non fuisse liquet[3]), sed quid fuerit e vestigiis colligere non potui[4]).

IV 8, 6. Vocabulum 'non', quod in codice O depravatum videtur esse, e codicibus interpolatis recipiendum, verba 'saepe propinque' retinenda esse censeo. Nam verbum quiescendi quod Messalam ipsum inquietum esse indicat eget explicatione, quae voce 'saepe' praebetur. Saepe igitur iam in eo fuerat, ut Messala ad villam proficisceretur, sed vel puella petente vel alia de causa, cum profectioni vel potius ipsi viae ingrediendae propinquus fuerat, itinere proposito ac paene suscepto destiterat, ut Sulpicia se die natali suo cum Cerintho in urbe futuram esse inciperet sperare; sed paulo post rursus inquietus ille iter suadere solebat. Iam cum adest dies natalis denuo eum puellae voluntate neglecta profectionem parare animadvertit et se precibus redintegratis quicquam profecturam esse desperans et superbior quam ut dubio eventu illi supplicare velit futurum esse intellegit, ut ille dies rure molesto agendus sit. Molestum autem rus dixit, quod neque quidquam urbe dulcius neque puellae villam aptam esse putat. Iam igitur, inquit, tu qui nimium valetudini meae consulis desine inquietus atque inconstans esse, proficiscere, abduc me: animum tamen, quamvis meo arbitrio esse tu me prohibere coneris, hic apud Cerinthum relinquo. 'Propinquus', quod adiectivum ad locum pertinet, cum voce 'viae' recte coniungitur[5]); etenim dicit Sulpicia acerbe, ni fallor, irridens: qui saepe paene iam in via fuisti.

Sed lectionibus potioris codicum classis quae libro A longe sincerissime repraesentatur

---

[1]) In excerptorum codice p scriptum est 'uitet', in codice u correctum 'uitet'.

[2]) Quid in codice y scriptum fuerit, parum constat; cf. quae de eo infra dicentur. — In Lachmanni codice *e* scriptum est 'vigent' [sic; etenim librarius eius litteras u et v iam distinguit!], in codice d 'iugent'; in codice c quid fuerit nescio, neque enim vidi illud exemplar cuius marginibus Broukhusium codicis scripturas intulisse Lachmannus (praef. pg. V) testatur. [Qui norunt, qua in bibliotheca quove nomine id exemplar asservetur, ab iis peto, ut me certiorem facere velint gratiamque officii me habiturum esse spondeo.] Hoc autem loco utrum 'vigent' margini adscriptum sit ex codice Broukhusii manu an in textu tantum typis impressum habeatur, eo magis dubito, quod in editionis Broukhusianae pg. 421 nihil de hac libri B — sic ibi nominatur — scriptura notatum est. Omnino ut de codice c recte indicari possit, opus est explorare, quid inde illi margini illatum sit, omissis eis lectionibus quae tantum ipsius editionis auctoritate confirmantur.

[3]) Cf. prol. pg. 72.

[4]) Omnino moneo ne quis ex Hilleri adnotatione critica et textu de codice A iudicet neglecto Baehrensi apparatu.

[5]) Praeterea interpretes non inutiliter provocant ad Lucani Phars. VI 1 (postquam castra duces, pugnae iam mente propinqui, imposuere iugis).

multifariam depravatis nonnunquam confugiendum nobis esse constat ad codices notae deterioris quippe qui multis exemplis intercedentibus vel ad alterum archetypi apographon bis terve descriptum[1]) vel ad duo triave ipsius archetypi apographa pertineant. Qui codices qua ratione ad archetypi scripturam cognoscendam adhibendi sint, satis multis locis docuisse videor[2]). Sed quaedam de eorum usu addenda sunt. Ac primum quidem sunt qui ultra id quod Lachmannus illo tempore recte statuit progredi videantur. Nam cum ille littera C breviter significasset consensum trium codicum r e c e n t i s s i m o r u m[3]), hi criticen sic exercere volunt, tanquam ille codicem quendam C ex ipso archetypo descriptum ex eorum consensu restitui posse dixisset; quod non fecit nec facere debuit. Iam vero cave putes exploratum atque compertum esse scripta in codice Eboracensi[4]) fuisse ea omnia quae e Lachmanni vel silentio vel notis criticis[5]) in eo fuisse suspiceris. Atque ex iis quae dubiae non sunt codicis y lectionibus H. Magnus[6]) unam eam esse iudicat, ut inde conficiatur codicem ad proprium archetypi apographon referendum esse, dico versum I 3, 4. Sed conferenda sunt quae de codicum in hoc loco discrepantiae origine exposui in prol. pg. 73; praeterea moneo eandem atque in codice y lectionem inveniri in aliis[7]) codicibus, quos omnes ex Eboracensi codice fluxisse non facile crediderim. Itaque ut aliquando quid e codice y traditum sit comperiatur certumque de eo adhibendo iudicium fieri possit, appendicis loco exscribam ex libri in bibliotheca regia Berolinensi asservati (Ms. Diez. B. Sant. 55. d.) schedis 15—24 quaecumque ad hunc codicem pertinent. Notis e versuum ordine dispositis numeros adscribam editionis Hirzelianae quintae ab Iohanne Vahleno curatae.

f. 15. ## Tibullus collatus cum manuscriptis.

A. Codex Ms. Bibliothecae Bodleianae ex dono Archiepiscopi Cantuariensis. liber magnam partem mutilus, in cuius fine haec leguntur: Ego Nicola. de Bandis hunc Tibullum scripsi mense Augusti, 1460.

B. Codex eiusdem Bibliothecae, ex dono eiusdem Archiepiscopi, qui Catullum habebat adiunctum.

C. Codex Archiepiscopi Eboracensis, circa initia, ut videbatur, artis typographicae scriptus.

D. Eiusdem codex eodem fere tempore scriptus.

E. Eiusdem codex omnium quos vidi vetustissimus quippe qui anno 1425 scriptus erat ut in fine legebatur[8]).

Duos priores codices cum Raphelingiana editione contuli in vigesimo quarto. Tres posteriores cum Aldina Mureti editione[9]).

---

[1]) Hanc sententiam, quam praestare mihi persuasi, accuratius persequi nunc quidem piget neque, utra sententia verior sit, ad poetae verba reperienda magni refert.

[2]) Vide quae exposui de versibus I 1, 43; 3, 4; 4, 44; II 1, 67; 3, 61; 4, 23; III 2, 5. 21; IV 1, 40. 112 a.

[3]) Verbi gratia cf. quae supra de codice *e* dixi (pg. 20 adn. 2).

[4]) Cui Lachmannum quidem nimiam auctoritatem tribuisse mihi persuasum est.

[5]) Ergo ne ea quidem vera sunt quae l. supra (pg. 3 adn. 1) l. H. Magnus dixit.

[6]) a. 1887 l. l. pg. 331.

[7]) Vide Broukhusianae editionis pg. 412 et bibliothecae Ambrosianae cod. membr. G 10 sup.

[8]) Hic est codex y (Lachmanni A).

[9]) Unde compertum habuerit Lachmannus codicem collatum esse cum editione a Mureto a. 1562 (hunc annum manus recentissima stilo plumbagineo adscripsit) emissa potius quam cum superiore anni 1558, equidem ignoro. — In f. 16 est vita Tibulli.

f. 17 I 1, 14 agricolae ponitur ante deum. 19 felices. 24 clamat, io. 29 bidentes. 43 Parva satis mensa (vel[1]), Parva seges satis) est, satis est req. lecto. 44 Scilicet. 45 audisse, vel, audire. 46 detinuisse, vel, contin. 48 igne iuvante. 54 exiles, vel, hostiles. 57 laudari curo. 59 Et spectem. 60 Et teneam. 66 nec virgo. 71 neque amare. 78 Dites despiciam.

2, 1 vinoque novos. 4 amor ma. sec. 10 Neu furtim. 22 addere. 23 Nec decet. 25a. 26[2]) *desunt*. 33 fiat. 47 Iam tenet inf. 50 convocat. 52 Hecatae ABCD[3]). 54 exspue. 56 ipse thoro. 63 Non ego totus abesset. 67 victas ABCD(E)[4]). 71 possum. 72 in solito. 80 nunc poenas. 82 diripuisse ABC(DE)[5]). — 83. 84. 85. 86.[6]) — 84 liminibus ABCD(E)[7]). 88 non unus. saeviet usq. 95 circumterit.

3, 4 mors precor atra. 13 reditus. nusquam, vel, quicquam. 14 quom fleret. 17 dant omina dira. 18 aut *deest*. 21 neu quis. 23 mihi Delia. 24 aera, vel, sistra. 26 succubuisse. 29 Et mea. 47 enses ma. sec. 54 sit super. 58 ad Elysios. 63 At iuvenum. 71 Tunc niger. in porta. 75 Titios. 89 ne quisquam. 93 Tunc precor.

f. 18 4, 22 freta longa. 37 Baccho Phoeboque. iuventus. 39 licebit. 40 vincet. 44 admittat. 47 duros labores. 48 opera. 55 mox afferet. afferet[8]). roganti. 80 Diducat. 81 Heu Heu quam Marathus lento. 83 turpis, vel, turbis.

5, 2 abest. 3 turbo. 5 nec dicere. 6 post haec. horrida, vel, aspera. 7 Parce tamen parce. 9 cum tristi. 11 te circum. 14 ter sancta. 16 novem circum nocte. 23 Aut mihi. 27 Ille. vitibus, vel, fructibus. 28 Pro segete et sp. 29 Illa reget. 30 Adiuvet. 34 Huic paret. 35 Eurusque Notusque. 45 Nereis quae Pelea. 52 in tectis. 53 herbasque sepul. 56 e triviis. 61 Pauper erit praesto tibi: praesto paup. ad. 69 mea furta timeto, vel, caveto. 72 aut crebro. 74 exereat. ipse fores. 76 nat tibi.

6, 3 magna est. 5 nam mihi. 10 heu heu. 11 ut sola. nunc didicit. 18 lasso. 34 servare, frustra. 44 Est mihi. 46 non et amans. verbera torta. 50 et canit invitus. 52 Nec. 58 monet. 69 sunt durae. 70 possum ego, quin. 71 putat ducorque. 77 Ast quae. 80 vellere ducta putat. 84 Spectat et infelix quod sit ma. sec. 86 stemus uterq. ma. sec.

7, 3 Equitanas. 4 Atax, vel, Arabs. 6 evictos. 8 nitidis currus. 9 tua bella pyrene. 10 Sanctonici. 11 Testis erit, vel, Arar. 12 Carnoti. 16 arat Cilicas. 23 possim. 35 sopores.

f. 19 42 compede, vel, cuspide. pulsa, vel, victa. 43 nec luctus. 44 cantus et levis. 49 Geniumque choreis. ludis ma. sec. 51 Illius et. 54 mella. 57 Nec taceat. quam Tuscula. 61 e *deest*.

---

[1]) Cf. quae de codice praemonet Rothstein (De Tibulli codicibus, pg. 39): 'ubi duas lectiones exhibet, quarum altera vocula 'vel' inducitur, secunda illa nihili facienda est sed sumpta est ex aliis codicibus neque raro consentit cum libris B aut C'. Tamen quid de his duplicibus codicis scripturis sentiam laboro propterea quod Heinsius alias saepe manus primam et secundam nominatim distinxit. In ceteris quos hic Heinsius excerpsit codicibus idem occurrit.

[2]) Suspicor Heinsium numeros versuum in Aldina non adscriptos computantem errasse et defuisse pentametrum in illa traditum 'Securum in tenebris me facit esse Venus' (de quo nihil e codicibus enotatum est) et versum 25ª (numeri sunt Hilleriani).

[3]) Hic quae ex illis codicibus Heinsius notarit eo consilio trado, ut in codice y 'Hecates' fuisse videri appareat.

[4]) Littera E adscripta est stilo plumbagineo, forma Heinsianam imitante.

[5]) Litterae DE adscriptae sunt stilo plumbagineo a manu recenti.

[6]) Versuum ordine in Mureti editione mutato Heinsius rectum numeris indicat.

[7]) Littera E stilo plumbagineo adscripta est a manu recenti.

[8]) Iterum notata est vox alio paginae loco.

8, 2 levia. 6 praedocuit. 11 comas ornare. 14 colligit arte. 21 et e caelo deducere lumina tentat ma. sec. 29 ne poscas. 30 foveas. 32 aspera barba. 38 fingere. 43 tum mutatur. 49 Seu Marathum torque. 51 rustica causa. ma. sec. sontica. 53 Vel miser. 55 custodia vinci. 58 ne dent. 71 ludebat. 73 lacrymis f. r. dolentis. 74 cupidum ficta. 77 ni desinis.

9, 3 Ila miser est. 9 freta per parentia ventis. 10 Ducant. 25 leva ministro. 31 nullius, vel, nullo tibi 39 quid faciam. 40 sed precor exs. sit. 45 amori. 48 Et me. 60 quam pl. emeruisse. 63 Illa nulla queat. 75 Huic tamen accubuit. 79 victum.

10, 3 tum praelia. 5 An nihil. 11 nec tristia. 12 corde micante. 15 Dii patrii, vel, Sed. 17 ex stipite. 18 veteres. 21 libaverat, vel, portaverat. 27 Hanc. 33 arcescere. 36 puppis aquae. 41 ut filius. 51 ipso, vel, ipse.

II 1, 1 Quisquis adest, valeat. 11 discedat ab aris. 12 Cui tulit externa. 21 rusticus agris. 22 Ingerat. 23 Satyri. 24 ex virgis. 27 Nunc mihi formosos veteris proferte falernos. 33 Equitanae. 34 victor ades. 48 annua, vel, aurea terra. 49 ingerat. 54 ornatus. duceret. 66 et appulso.

f. 20 66 tela sonat latere, vel, pectine tela sonat. 73 iuvenis. 88 fulva toro. 90 nigra, vel, vana.

2, 4 a terra. 6 decorant. 9 Cornute, vel, Cherinte. 21 natalis anus.

3, 1 Rura meam Cornute tenent. 2 heu heu. 5 cum aspicerem dominam. 10 et teneras. 14a pent. Et potum fessas ducere fluminibus, vel, Creditur ad mulctram constituisse prius. 14c et mixtus. 15 texta est de vimine. 17 O quotiens. 19 O quotiens. 27 Phiton. 31 puella est. 34 Imperat ut. 36 est operata. 41 obsistere. 43 externus. tumultus. 44 mille columna. 51 per orbem. 53 Ille gerit. faemina Choa. 55 Illi sunt. 59 quem, vel, quae. 60 gypsatos, vel, luxatos. 62 Resolvat. 80[1]) *deest.* 81[1]) *deest.* 81[1]) Detur ut accedam dominae pro velle loquarque C[2]). vel, Ah pereant artes et mollia rura colendi E[3]). 78 iuvet.

4, 2 paterna veni ma. sec. 4 remittet. 5 urit ma. pri. 17 nec qualis. 18 recurrit. 23 insignia donis. 29 Hic dat a. c. et Choa. 37 sonant. 43 nec. 49 placideque quiescas. 56 gerit, vel, dedit.

5, 15 est *deest.* 20 raptos. 21 Nec fore. 23 fundaverat. 27 umbra. 35 ditis placitura.

---

[1]) Ut hae notae recte intellegantur et Lachmanni error corrigatur, hic utendum est numeris Aldinae Mureti editionis, in qua locus sic exhibetur:

(78) Ianua. si fas est, mos precor ille redi.
(79) Ah pereant artes, et mollia iura colendi,
(80) ×
(81) O utinam ueteri peragrantes more puellae
(82) Horrida villosa corpora ueste tegant.

[2]) sic Heinsius scripsit; Lachmannus errore E legit.

[3]) Verba 'vel — colendi E' non eodem tenore scripta sunt quo illa quam descripsimus de codice C nota, sed subter illam. Cum de versu 79 nihil Heinsius adnotarit, is in codicis textu fuisse videtur, neque igitur credi potest eundem versum una littera mutata iterum adscriptum esse ad versum 81, quem in codice defuisse diserte ille testatur. Atque, nisi fallor, hac nota ad eum qui octogesimum secundum antegreditur versum adscripta indicare voluit in codice et 'rura' scriptum esse et versum 79 sic mutatum ita in illius e codice C excerpti versus loco esse, ut ipse quoque antecederet versum 82 (horrida etc.). Ergo in codice y fuisse videntur versus 78 (Ianua etc.), 79 (Ah — rura colendi), 82 (Horrida etc.).

39 Hic nova Elegia incipit. 56 iam locus. 63 laurus. 68 grataque quod monuit. 71 Haec fore. 72 Multus et in terras. 74 praetimuisse. 82 annus erit.

f. 21 84 distentet. 86 deliciantque. 91 natusque petenti. 92 compressis. 97 e veste sua. 102 facta venit. 108 Heu Heu quam. 110 faveo morbo, vel, foveo morbum. 111 Usque cano. 112 iustos aut. 116 ferent.

6, 2 Si comes. 8 portet ma. pri. 10 facta tuba est. 13 ad limina. 16 si licet. 17 dura. 36 sis mihi lenta. 45 Phirne. 47 duro. lumine duro[1]). 49 mihi promissa est. 51 mens mihi.

III 1, 8 illa meis. 10 Pumicet et canas tondeat ante comas. 11 protexit. 19 referet. 21 Sed primum meritum.

2, 1 primus. 8 tot mala perpessae taedia nata meae. 15 rogate, vel, precatae. 18 legent[2]). 19 spargent. 21 tollere ventis. 24 dives et Assyria. 29 Neaera.

3, 17 in Ericteo. 22 lege gerit. 23 Sed mihi. 24 Et sine te. 28 adversa. 29 iuvant.

4, I nec sint mihi somnia vera. 3 Ite procul vanum ma. pri. 9 Et varium (ma. sec. vanum) ventura (vel, metuens) hominum genus omnia (vel, omina) noctis. 28 mirthea. 33 Et quam. 45 Semelae CD[3]).

f. 22 69. 70 ne ne. 80 ac alium. 87 Non consanguinea. 92 duris[2]).

5, 1 Nos tenet. 4 remittit humus. 10 certa venena. dedit. 11 Nec nos sacrilegos templis admovimus aegros. 13 iurgia mentis. 29 At nobis. numina nymphae.

6, 11 Aut si quis. recuset. 19 in illo. 21 Non venit. 30 candida facta.

(7), 49 Nulla fides veneri ma. sec. 53 tecum longas. 58 Temperat.

IV 1, 1 quanquam mea. cognita, vel, vivida. 3 Incipiam tamen a meritis. 5 praeter te. 13 terris. 18 Alter dictat. 19 descenderit aera. 24 Et quocunque. 27 carmine charta. 28 superant. 32 futurus. 39 Namque tibi, vel, quisque tibi ma. g. castrisve fo. 40 *deest.* 60 Nob. Artacre gelidos. 64 ad arces[4]). 66 Seu supra terras. 67 plutonis. regno. 72 rabidas. 73 consumpsit in ore. 78 miseri.

f. 23 87 Et facilisque. 91 Et quis. 93 passu. 94 levius, vel, melius, vel, brevius. 95 quis parma, seu dex. 97 Amplior aut. 98 venient. 99 parent. 102 decurrat. 103 duplicem[5]). 104 Dexteraque, vel, Dexterque. 110 Testis et Arpinis ma. pri. 112 saec. famae[6]).

---

[1]) Diversis paginae locis hae notae scriptae sunt.

[2]) Media e tribus transversis litterae E hastis omissa est.

[3]) Cf. pg. 22 adn. 3.

[4]) Cf. pg. 20. Praebent 'arces' etiam Lachmanni codices *d* et *e* et sine dubio ceteri omnes (cf. Broukh. pg. 434). Itaque typothetae, ni fallor, errore scriptura 'arcis' pervenit in illius editionem et inde in alias.

[5]) Codicis nota videtur esse E correcta ex littera D.

[6]) Vide quae de hac nota rectissime disseruit Rothstein, De T. codicibus, pg. 57. Est versus editionis Hillerianae 112[a], quanquam idem Heinsius scripsit '112 mirentur A' et '113 saecula famae D'. Etenim ille, quem diversis temporibus notas scripsisse et e litterarum forma et ex atramenti colore apparet, in computandis versuum numeris sibi non constitit. Atque in sinistro margine scripsit '113 *deest* C. 113 Iamque D. 113 saecula famae D. 116 moderamen C.'; comprehendit igitur versum in editione Mureti hoc loco collata sic exstantem 'Nanque senex longe peragit dum saecula vitae'. In media autem pagina a codicibus cum Raphelengiana editione collatis exorsus non respexit versum 112[a] in illa non traditum; itaque scripsit in sinistra mediae paginae parte '112 mirentur A. 113 renovaverat ACD. ma. pri. E (extremam de E notam atramento multo pallidiore). 118 erit A', in dextra '113 revocaverat B. 115 validusque ma. sec. E'. Huic vero dextrae parti multo pallidiore atramento adscripsit 'saec. famae E', facili errore versum ei quem iuxta 113 dixerat antecedentem antecedenti numero designans.

113 renovaverat ma. pri. 115 validusque ma. sec 136 nunc idem. 139 Tetereo et ma. sec. Teréo. 141 dementia Cidnus. 142 Creteis ardet. 145 Patheus, vel Padus[1]. 146 atque Maginos. 157 quippe ubi. superegerit. 158 colori. 160 decurrere noctes ma. sec. 161 exsurgit. 165 rigentem. 167 similis utrique. 171 Et laeta. 173 confunditur. 174 exsurgitat. 181 dictantes. 195 densis solus subsistere. 199 non magna. 202 sit notus. inhaeret. 203 statuunt. 204 tunc tumulus cum texerit ossa.

2, 3 Sed venus. 19 litore gemmas. 23 multos hoc sumet in an. 24 thoro.

3, 20 tange manu. 21 subiecit, vel, subrepit. 22 Incidat.

4, 5 Effice ne. — 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24[2].

f. 24 5, 4 dederant. 7 per te dulcis(sima) furta[3]. 9 Mane Geni. 10 ille valet. 11 suspiret. 13 Nec tu sis iniusta. 16 nos soluisse. 17 sed tutius. 20 clamve palamve.

6, 7 ne nos divellat. 15 quod optat. 16 iam sua. 19 Si iuveni gr(ata) adveniet.

8, 3 puellae ma. pri.

10, 1 tibi de me.

11, 1 placitura. 2 quod mea. 5 At mihi q. p. m. evincere, quid tu.

12, 2 Ac videor.

13, 3 Tu modo sola places, nec te iam praeter in urbe. 8 ipse sinu. 15 Nec tibi sancta. 17 heu heu mea pig.

14, 3 carmina ma. pri. facta dolore.

Epitaphium. In D Ovidio hoc epigramma ascribitur. et E. — 1 non aeque[4].

Haec habui quae de carminum Tibullianorum recensione dicerem; de qua quo impensius commentor atque meditor, eo magis in haec quoque quadrare mihi videntur quae de Ovidii metamorphosibus recensendis nuperrime in Fleckeiseni annalibus (fasc. 3, pg. 206) dixit H. Magnus: 'neben O leitet mindestens noch ein canal zu A[rchetypus] hinauf. aber wir kennen bis jetzt nicht eine einzige hs., die diese zweite klasse X einigermaszen vertreten könnte'. Neque enim modo erroribus et interpolationibus foedissime in his libris peccatum est[5], sed etiam contaminatione quadam depravati sunt.

---

[1] Litterae d pars superior transfixa est hasta, qua quid significetur nescio.

[2] Versuum ordinem indicat.

[3] Utrum litteram D quam scripserat delere an in litteram E mutare voluerit, non satis apparet.

[4] Addo quid in codice fuisse videatur eis locis, quibus Heinsius secundae tantum manus scripturas enotavit. Atque in editione a. 1558 emissa (posterior praesto mihi non est) traditur: I 2, 4 amans; 3, 47 ensem; 6, 84 Spectat et infidis quam sit; 6, 86 simus uterque coma; 7, 49 ludos; 8, 21 Cantus et e curru lunam deducere tentat; II 4, 2 paterna vale; III 6, 49 Nulla fides inerit; IV 1, 115 validisque; 1, 160 decurrere luces.

[5] Verba sunt Rothsteinii (pg. 39).

Index locorum.

Druck von W. Pormetter in Berlin.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA 6789 B44

Belling, Henricus
Quaestiones Tibullianae